



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,  
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem  
præceptorum secundæ tabulæ

**Tamburini, Tommaso**

**Monachii, Anno M.DC.LIX.**

De pollutione vigilantis involuntaria, numero 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39995**

indoctum, ut vigiliam perfectam à semivigilia non discerneret, & ideo non ex alijs adjunctis, sed ex ipso obiecto, & prædicta nimirum expulsiōne, casum decerni modestè postulare. Hæc cum illo sacerdote habui; cæterum rem expende, ingeniose Lector, & decerne.

b *Sanch. de mat. li. 9. d. 17. n. 16. c. Marc. de ordine. tr. 3. p. 3. c. 2. n. 6.*

*Pollutio vigilantis involuntaria.*

20. Hæc, ut etiam distillatio & commotio spirituum generationi inservientium, quoad solutos (nam quoad conjugatos, diximus *d a libi*) tunc solum sunt in se mortales, quando adest deliberata complacentia in illis, ob corpoream voluptatem, non vero ob aliquem bonum finem, ut in simili dictum est nu. 15. In causa vero, ut quandonam sint mortales, cognoscas, breviter repeto, quæ superius *e* satis fusè sunt explicata.

d *sup. c. 3. §. 5. à num. 46. a sup. ibid.*

21. Pollutio, distillatio, commotio potest primò in vigilante oriri ex causis non peccaminosis, quando nimirum oriuntur ex complexione particulari, vel quando ex infirmitate, ut in ijs, qui patiuntur fluxum seminis, & qui facillimè, levi quacumque occasione distillationem seu carnis commotionem sentiunt; vel quando ex causis extrinsecis bonis, vel ex se non malis, ut lectio, vel auditione turpium, ad scientiam comparandam, equitatu, contactu, & cæteris hujusmo-

di, quando hæc sunt necessaria, vel utilia, vel commoda. In his omnibus si voluntas deliberatè non consentiat, non est culpa, quia hi sunt actus naturales, imo si quis patienter hos ferat, materiam *ee* habet magni meriti, propter humilitatem.

*ee Tol. l. c.*

22. Potest secundo eadem pollutio, distillatio, commotio in vigilante oriri ex causa mortali in genere luxuriæ, & tunc eam causam ponere, affert novum peccatum mortale pollutionis, distillationis &c.

23. Potest tertio ex causa veniali, & tunc affert novum veniale, &c. quæ satis abunde dicta superius *f* sunt. *f sup. c. 3. §. 5. à n. 46.*

§. III.

*Sodomia perfecta.*

1. **I**N Methodo sic *a* habes: Sodomia, & quidem perfecta, est concubitus *b* ad sexum non debitum, ut vir cum viro, femina cum femina; nam concubitus viri cum femina in vase præpostero, est sodomia imperfecta, de qua mox. Concubitus autem est copula carnalis consummata; naturalis, si fit in vase debito; unnaturalis, si fit in loco, seu vase non debito.

*a in Meth. Conf. li. 2. c. 7. §. 10. nu. 67. b S. Th. 2. 2. qu. 52. art. 11. ibid. Cajet.*

2. Sed hic est quæstio, quandonam mutua procuratio pollutionis inter mares, vel inter feminas debeat dici mollities, quando Sodomia?

Ec 3

Respon-